

48. (23) Item quod diocesanus contra monachos solitarios formam concilii contra tales editam faciat observari. — *Dentur*^a.

49. (24) Item contra concubinaros beneficiatos officii^b sui debitum exequantur. — *Dentur*.

50. (24, 2. Teil) Similiter contra clericos arma portantes et usurarios. — *Dentur*.

51. (25) Item solet scribi iudicibus, ut ea que a maiori parte collegiorum ecclesiasticorum licite ordinantur, faciant observari, nisi minor pars rationabile contrarium proposuerit^c et ostendat. — *Dentur*^d.

52. (26) Item indulgetur religiosis, quod in causis propriis possint testimonio fratrum suorum uti. — *Dentur*.

53. (27) Item mandatur iudicibus, quod recipiant testes^e ad futuram memoriam super bonis ecclesiarum, de quibus non apparent publica instrumenta. — *Dentur*.

54. (28) Item quod religiosi possint uti privilegiis, quibus per negligentiam non sunt uti, nisi^f per prescriptionem vel alias sit eis legitime derogatum. — *Dentur*^g.

55. (29) Item quod tempore interdicti possint religiosi clausis ianuis celebrare divina etc. — *Dentur*.

56. (65) Item scribitur diocesanis ad petitionem aliquius rectoris ecclesie, ut in procurationibus, que imponuntur clero, illum non permittant ultra facultates proprias aggravari. — *Legatur*^h.

57. (66) Item indulgetur religiosis, quod ordinariis visitantibusⁱ denegare liceat, quicquid petunt ultra id, quod in concilio est taxatum. — *Legatur*.

58. (67) Item littere predecessorum Romanorum pontificum in litteris apostolicis annotantur. — *Legatur* et idem de litteris^k, que inveniuntur^l in registris eorundem Romanorum pontificum.

59. (30)^m Item indulgetur religiosis, quod in questionibus adversus eos motis non teneantur se defendere per duellum. — *Dentur*.

a) 'dentur et legantur per notarium' C, der zweite Teil hierher statt zu n. 47 gestellt. b) 'ut officii' D. c) 'opposuerit' C 2.
d) Fehlt C. e) Fehlt C. f) Fehlt B 2 C 3. g) Fehlt C.
h) 'dentur' B C. i) 'visitationibus' C 3 D, 'insistentibus' B 1.
k) 'bonis' C. l) 'innovantur' D 2. m) Fehlt B 2.